

† NECROLOGIA †

† R. P. Ioannes Holzer (1882-1939)

(Vice-Prov. de Buenos Aires)



In praematura huius confratris morte nobiscum alii multi doluerunt. In nova eius patria Argentina statio quaedam radiophonica eius memoriae peculiarem dicavit horam, et multi in foliis publicis de defuncto venerabundi scripserunt, etiam procul a fluminis *La Plata* terris, uti ille minister acatholicus, laborans inter Germanos Russiae²; Germanis quippe catholicis extra patriam viventibus P. Holzer in vita singularem dicaverat curam, etiamsi semper studuerit ad instar Apostoli omnibus omnia fieri.

Ioannes Holzer ortum duxit e provincia Rheinana, et ut accuratius loquamur, e Sarae fluvii regione apprime catholica. In pago Schiffweiler natus est d. 15 Dec. 1882. Humanitatis studia absolvit in Vaalsensi iuvenatu, et votis religionis Luxemburgi d. 14 Sept. 1904 nuncupatis altioribus studiis in collegio Geistingen prope Hennef vacavit atque Kal. Aug. 1909 sacerdotio auctus est.

Festo subsequenti Assumptionis B. M. V. potuit sollemnem Missam cantare in ecclesia sui pagi natalis. Quot flores iuveni sacerdoti eo die offerebantur! quot signa religiosi affectus! Transituri erant triginta anni, et eodem die recurrente, admodum procul a patria terra, in « Chaco » Argentino, corpus eius exanime terrae committebatur, inde omnium diorum ultimo gloriose, ut speramus, resurrecturum.

P. Holzer a. 1911 una cum hodierno Superiore Vice-Provinciae de Buenos Aires, Pl. R. P. Iacobo Wagner, item e Sarae terra oriundo, dilectae patriae valedixit, ut secundum Superiorum voluntatem in America meridionali immortales animas Deo lucrifaceret. Egregii missionarii dotes eum minime deficiebant: valetudo robusta, eloquentia popularis, imprimis autem cordis bonitas immensa; et quo quis opis egentior erat, eo teneriore animi affectu P. Holzer eum prosequebatur. Hanc ob causam in sacra praedicatione humile sacellum rurale praefererebat magnarum urbium templis, et suae stirpis stiisque idiomatis filiis ideo maiore studio sese devovebat, quod experientia edoctus cognoverat eos inter exteros in maioribus versari periculis perdendi avitam fidem et aeternam salutem.

Quibus locis Argentinae reipublicae Germani catholici simul vivunt et suos habent bonos sacerdotes, passim religio floret, et missionarius noster inter eiusmodi christianos gaudia dulcissima degustare poterat, velut cum a. 1914, una cum P. Wagner supra laudato, in Pampa centrali, in colonia Germanica *Santa Maria*, primam suam missionem Germanicam praedicavit. Loci parochus egregius, filius fratri nostri P. Antonii Krämer († a. 1914 Bonis Auris), ad viae ferreae stationem Unanué, 15 km. distantem, decem vehicula belle decorata miserat. Post 10 fere km. itineris exspectant multi equites cum suis vexillis, paroeciae iuventus valida, et ante ipsam coloniam integra paroecia cum suo pastore. Missionarios nostros manet ingressus vere triumphalis, securoris autem diebus labor quidem arduus, at solaciorum plenus; omnes enim apud salutis administros totius vitae peccata confitebantur, et talium confessionum generalium 2 000 in hac prima missione excipienda erant aliaeque multae in missionibus coloniarum vicinarum, ita ut P. Holzer postea scribere potuerit: « Praenimia defatigatione saepe corpus vix regebatur, sed cor laetitia repletum erat »¹.

Quantopere res mutatae in aliis excursionibus apostolicis! veluti cum P. Holzer inde ab a. 1923 toties cum aliquo confratre *Gran Chaco* qua Apostolus percurrebat, regionem illam eousque fere incultam Argentinae septentrionalis. Primum ei per binas noctes et unum diem iter via ferrea faciendum, tum aliis mediis immensae silvae peragrandaes ad quaerendas more boni pastoris oves incredibiliter derelictas; Fratres quippe Minores,

¹ G. BRANDHUBER, *Die Redemptoristen*, p. 156.

quibus haec vastissima regio, dimidiā fere aequans Germaniam, concre-dita est, sunt paucissimi numero et Germanicam linguam ignorant.

Chaco, cui P. Holzer per tot annos magnae suae caritatis sacerdotalis thesauros dedicaverat, etiam mortuum tenet. Aestate anni 1939 ibi cum R.P. Mattheia Breuer zelo sueto inter colonos Germanos dispersos laborabat, cum in itinere d. 10 Augosti inadvertentia cuiusdam viri infortunium accidit, quo Patris Holzer brachium sclopeti globulo vulnerabatur. Nullum nosocomium praesto erat ad grave vulnus curandum, et cum tandem aliquando, post undeviginti horas itineris tormentis ineffabilibus refertas, ad oppidum Saenz Pena perventum esset, vel ipsa brachii vulnerati amputatio mortem impedire non iam poterat. In mortis autem conspectu P. Holzer admirabilem ostendit animi fortitudinem, et in vigilia Assumptionis B. M. V. finivit vitam laborum plenam, Deo offerens dolores acerbissimos pro animabus maxime derelictis, sui plane conscientis ultima sacramenta recipiens et ad preces liturgicas ipse respondens. Sepulturam invenit in coemeterio confratrum Polonorum, qui circa illud tempus in *Charata* sedem fixerant. Interfuit Antistes illius regionis, qui ipse funebrem orationem habere voluit. R. I. P.